

AUR. CORN.  
C E L S I  
D E  
M E D I C I N A  
L I B R I O C T O  
*Cum Notis integris*  
JOANNIS CAESARII, ROBERTI CONSTANTINI,  
JOSEPHI SCALIGERI, ISAACI CASAUBONE,  
JOANNIS BAPTISTAE MORGAGNI.  
Ac locis Parallelis.

*Cura & Studio*  
TH. J. AB ALMELOVEEN,  
M. D. ET PROFESSORIS.

Accedunt J. RHODII vita C. CELSI, Variae Lectiones  
ex tribus antiquis editionibus, itemque Loci aliquot

HIPPOCRATIS ET CELSI

A B  
HENRICO STEPHANO  
παραλλήλως concinnati.

Editio Secunda accurate revisa.

---

B A S I L E A E,  
APUD JOH. RUDOLF. THUNNEISEN,  
M D C C X L V I I L



# L E C T O R I T Y P O G R A P H U S S A L U T E M.

**A**uctorem damus tibi, omnium non  
Philiatricorum solum, verum etiam  
doctorum quorumvis, quibus ele-  
gantiores litterae suo in pretio ha-  
bentur, judicio unice probatum.  
Sesquitertium jam saeculum intercessit, ex  
quo primum Florentiae editus certatim Italiae,  
Galliae, Germaniaeque utriusque prelis exce-  
ptus, repetitusque fuit. Dignus itaque nobis  
vifus est, qui post editionem **O P O R I N I A N A M**,  
duobus jam paene saeculis interjectis, iterum  
in hac urbe typis nostris ederetur. Consti-  
tueramus primum litterati cujusdam **Viri**,  
**Celsique** in primis studiosi animadversiones a  
multis annis elucubratas adjicere. Verum  
cum is longiorem diem ad eam rem deposce-  
ret, satis habuimus in praesentia editionem  
novissimam **C E L S I** & emendatissimam, ac  
brevioribus, quotquot existant, eruditorum  
virorum Scholiis locupletatam, quam Vic  
industrius **J O H . A R N . L A N G E R A K** duobus  
ab hinc annis **L U G D U N I B A T A V O R U M** ex-  
hibuit.



# A. CORN. CELSI M E D I C I N A E L I B E R P R I M U S.

## P R A E F A T I O .

**U**T ALIMENTA sanis corporibus Agricultura, sic sanitatem acgris Medicina promittit. Haec nusquam quidem non est. Siquidem etiam imperitissimae gentes herbas, aliaeque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt. Veruntamen apud Graecos aliquanto magis, quam in cacteris nationibus, exculta est: ac ne apud hos quidem à prima <sup>2</sup> origine, sed paucis ante nos seculis; utpote cum vetustissimus auctor AEsculapius celebretur. Qui, quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, <sup>3</sup> in deorum numerum receptus est. Hujus deinde duo filii, Podalirius & <sup>4</sup> Machaon, bello Trojano ducem Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt.

---

Parif. Ed. ARTIUM A. CORN. CELSI LIBER PRIMUS INCIPIT. Medioli. Ed. etiam addit: INCIPIT. a Par. abest vox P R A E F A T I O .

<sup>1</sup> De Vet. Med. Tom. VIII. 22. <sup>2</sup> De Vet. Med. III. 2. <sup>3</sup> Orat. Theftal. N. 178. <sup>4</sup> Orat. Theft. 183. Maxim. Tyr. Dissert. xxix. Plato de Rep. lib. IIII. pag. 407. Tom. II. ed. H. Steph. Aristides Orat. in Asclepiada.

A